



Remigius inter Francos eruditione & pietate maxima authoritatis fuit. propterea summo-
pere adnitebatur ut gentem Francorum ad fidem
Christianam pelliceret. In eo etiam Crothildim re-
gis Burgundiæ filiam atq; Clodouei regis uxorem
adiutricem habuit. Verùm fieri non poterat ut per-
tinax illa natio à suis erroribus abduceretur, donec
tandem Clodoueus in periculoso cum Alemannis
qui ei huiusmodi successus inuidebant, certamine,
uotum fecisset, se Christianam religionem professu-
rum, si ea uictoria potiretur. Itaq; uictor existens at-
que uoti reus factus, à S. Remigio cum omnibus
suis subditis paptizatus est, Anno 508, ut Herman-

nus Contractus supputat. Tum autem Remigius nihil intentatum reliquit, at-
que nullis laboribus pepercit, ut superstitionibus gentiliū semotis, uerus Dei
cultus per Francorum regnum institueretur. Tandem uerò rebus ordine ad-
ministratis, ipse Remensis præsul electus est, quam functionem magnâ dili-
gentia ad finem uitæ usq; gnauiter peregit, ita ut mirabili luctu omnium eius
mors suscepta fuerit. Quod autem Lombardus fabulatur de pondere cor-
poris eius, quod diu loco moueri non potuerit, nos (sicut
alias huiusmodi nœnias) studio præterire uo-
luimus. Lomb. & Monst.